

§. 1. Et quia Legatio Graecensis (ad quam Regnicolae diversis vicibus aliquot millia florenorum exposuerunt) nullum effectum est sortita; Status et Ordines Sacratissimae suae Majestati humillime supplicant; ut inter alias per Sacratissimam Majestatem approbatas et confirmatas Constitutiones Regni, huic quoque tandem clementer satisfacere dignetur:

§. 2. Ne inter Regnicolas ac praedictos Valachos aliquem tumultum perniciosum suborire contingat, si Dominis terrestribus non paruerint.

Restantiae Contributionis quarti floreni ad manus Domini Petri de Réva administrandae. Ipse vero Dominus de Réva, de rationibus super quarti floreni perceptione datis quietatur.

Articulus 42.

§. 1. Et cum ex ejusdem rationibus manifeste comperiebatur, Perceptores suae Majestatis Psonienses et Scepusienses et alios quosdam sese in perceptionem quarti floreni immiscuisse; et apud quosdam Dicatores, uti et apud Regnum Sclavoniae, ac Civitates tam Partium Regni Ungariae superiorum, quam inferiorum et Sclavoniae restantias haberi;

§. 2. Ideo statutum est; ut Perceptores suae Majestatis et reliqui etiam, pecuniam ad se levatam; Dicatores vero et Civitates, restantias usque ad Festum Ascensionis Domini proxime venturum, ad manus ejusdem Domini Petri de Réva, citra omnem tergiversationem administrent.

MATTHIAE II. IMPER. & REG. DECRET. IV. ANNI 1618. ARTIC. POST CORON.

Magnificus Ernestus a Kollonich Indigena Regni declaratur; et in Vice-Capitaneatu Jaurinensi confirmatur.

Articulus 5.

Vice-Capitaneus Jaurinensis, Magnificus Ernestus a Kollonich, siquidem Croata, ac proinde Indigena Regni *) esse comperitur; in officio suo maneat: Renovato hoc loci Artic. 11. Anni 1608. ante Coronationem.

De Commissione ratione Valachorum juxta Constitutiones praecedentium Annorum instituenda.

Articulus 32.

Praeterea ex quo Valachi in Regnis Croatiae et Sclavoniae in terris Dominorum et Nobilium residentes, juxta praecedentium Annorum Articulos, per Commissionem superinde institutam a Jurisdictione Capitaneorum Confiniorum necdum sint exempti ac restituti:

§. 1. Statutum est; ut iidem Valachi, per jam semel delegatos suae Majestatis Commissarios, videlicet Reverendissimum Dominum Franciscum Erge-
lium, Episcopum Vesprimiensem, Commissionis Praesidem, et Spectabilem ac

*) Optima consequentia et jam articulariter notificata; Vide An. 1741. a. 61. Vigore cujus; filii nativi Regnorum Dalmatiae, Croatiae et Sclavoniae, denominatione Ungarorum veniunt, quoad officia et beneficia Ecclesiastica et secularia. Simile quid habetur, etiam An. 1625. a. 65.